

ut habetur Levit. xii. Et hoc quidem sacrificium erat & ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta: & nata, & etiam ad consecrationem quamdam ipsius, quia tunc primo presentabatur in templo: & ideo aliquid offerbatur in holocaustum, & aliquid pro peccato. Aliud autem præceptum erat speciale in lege de primogenitis tam in hominibus, quam in iumentis. Sibi enim Dominus deputaverat omne primogenitum filiorum Israel, pro eo quod ad liberationem populi Israel percussit primogenita Egypti ab homine usque ad pecus, primogenitis filiorum Israel reservatis. Et hoc mandatum ponitur Exodi xiii. in quo etiam præfigurabatur Christus, qui est primogenitus in multis fratribus, ut dicitur Rom. viii. 29. Quia igitur Christus ex muliere natus erat quasi primogenitus, & voluit fieri sub lege, hæc duo Evangelista Lucas circa eum fuisse observata ostendit. Primo quidem illud quod pertinet ad primogenitos, cum dicit (Luc. 11. 22.) *Tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino; sicut scriptum est in lege Domini, qui omne masculinum adaperiens uterum, sanctum Domino vocabitur.* Secundo illud quod pertinet communiter ad omnes, cum dicit. *Ut darent hostiam, secundum quod dictum erat in lege Domini, per turturum, aut duos pullos columbarum.*

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Gregorius Nyssenus dicit (hab. in catena D. Th. sup. illud Lucæ 11. *Sanctum Domino &c.*) illud legis præceptum in sola incarnato Deo singulariter, & ab aliis differenter impleri videtur: ipse namque solus ineffabiliter conceptus, ac incomprehensibiliter editus, virginalem uterum aperuit, non antea conubio reservatum, servans post partum (a) inviolabile signaculum castitatis. Unde quod dicit, *adaperiens uterum*, designat quod nihil antea inde intraverat, vel exiverat: & per hoc etiam specialiter dicitur masculinus, quia nihil de femineitate culpæ portavit: singulariter etiam sanctus, quia reverentia contagia corruptæ immaculati partus novitate non sensit. (Ambr. in hunc loc. Luc. 11.)

Ad secundum dicendum, quod sicut Filius Dei non propter seipsum factus est homo, & circumcisus in carne, sed ut nos per gratiam faceret deos; & ut spiritaliter circumcidamur, sic propter nos sicut Domino, ut discamus Deo præsentare nosmetipsos: & hoc post circumcisionem ejus factum est, ut ostendat, neminem, nisi circumcisum vitæ dignum esse divinis conspectibus.

Ad tertium dicendum, quod propter hoc ipsum voluit hostias legales pro se offerri, qui erat vera hostia, ut figura veritatis conjungeretur,

(a) *Inviolabiliter.* (b) *Ita miss. & editi passim. Al. deest inimici.* (c) *Vulgata si suscepto.*

& per veritatem figura approbaretur, contra illos qui Deum legis negant à Christo fuisse in Evangelio prædicatum. *Non enim putandum est, ut Origenes dicit (hom. xlv. in Luc. 4. med.) quod filium suum bonus Deus sub lege (b) inimici fecerit, quam ipse non dederat.*

Ad quartum dicendum, quod Levit. xii. præcipitur, ut qui possent, agnum pro filio, aut filia, simul & turturum, sive columbam offerrent; qui vero non sufficerent ad offerendum agnum, duos turtures, vel duos columbarum pullos offerrent. Dominus ergo, qui cum dives esset, propter nos cœnus factus est, ut illius inopia divites effemus, ut dicitur II. ad Cor. viii. 9. pro se pauperum hostiam voluit offerri, sicut, & in ipsa nativitate panis involvitur, & reclinat in præsepio. Nihilominus tamen hujusmodi aves figura congruunt: turtur enim quia est avis loquax, prædicationem, & confessionem fidei significat, quia vero est animal castum, significat castitatem, quia vero est animal solitarium, significat contemplationem. Columba vero est animal mansuetum, & simplex, mansuetudinem, & simplicitatem significans: est etiam animal gregale, unde significat vitam activam: & ideo hujusmodi hostia figurabat perfectionem Christi, & membrorum ejus. Utrumque etiam animal propter consuetudinem gemendi præfectis Sanctorum locus designat; sed turtur, quæ est solitaria, significat secretas orationum lacrymas; columba vero, quæ est gregalis, significat publicas orationes Ecclesie. Utrumque vero animal dupliciter offertur, ut sanctitas sit non solum in anima, sed etiam in corpore.

## ARTICULUS IV. 207

*Utrum mater Dei convenienter ad templum purgatum accesserit.*

Op. LX. cap. 111.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter mater Dei purganda ad templum accesserit. Purgatio enim non videtur esse nisi ab immunditia. Sed in B. Virgine nulla fuit immunditia, ut ex supradictis patet (art. præc. ad 1. & quæst. xxvii. art. 4. & 5. & quæst. xxviii. art. 1.). Ergo non debuit ut purganda ad templum accederet.

2. Præterea. Levit. xii. 2. dicitur: *Mulier (c) quæ suscepto femine peperit masculinum, immunda erit septem diebus: & ideo ei præcipitur quod non ingrediatur sanctuarium, donec impleantur dies purgationis ejus.* Sed

B. Virgo peperit masculinum sine vitæ femine. Non ergo debuit ad templum venire purganda.

3. Præterea. Purgatio ab immunditia non fit nisi per gratiam. Sed sacramenta veteris legis gratiam non conferebant; sed ipsa potius secum gratiam auctorem habebat. Non ergo conveniens fuit ut ad templum purganda veniret.

Sed contra est auctoritas Scripturæ, quæ dicitur Luc. 11. 22. *quod impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi.*

Respondetur dicendum, quod sicut plenitudo gratiæ à Christo derivatur in matrem; ita decuit ut mater humilitati filii conformaretur. *Humilibus enim Deus dat gratiam*, ut dicitur Jacobi iv. 6. Et ideo sicut Christus licet non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem, & alia legis onera subire, ad demonstrandum humilitatis, & obedientiæ exemplum, & ut approbare legem, ut calumnia occasionem Judæis tolleretur; propter eandem rationem voluit & matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxius.

Ad primum ergo dicendum, quod licet B. Virgo nullam haberet immunditiam; voluit tamen purgationis observantiam implere, non propter indigentiam, sed propter legis præceptum. Et ideo signanter Evangelista dicit, *quod impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem*: ipsa enim secundum se purgatione non indigebat.

Ad secundum dicendum, quod signanter Moyses videtur fuisse locutus ad excipiendam ab immunditia matrem Dei, quæ non peperit suscepto femine. Et ideo patet quod non obligabatur ad impletionem legis præcepti, sed voluntarie purgationis observantiam adimplevit, ut dictum est (in corp. art.)

Ad tertium dicendum, quod legalia sacramenta non purgabant ab immunditia culpæ, quod fit per gratiam, sed hanc purgationem præfigurabant; purgabant autem purgatione quadam carnali ab immunditia irregularitatis cuiusdam, sicut in secunda parte dictum est (1. 2. quæst. cxi. art. 5. ad 5. 6. & 7.) Neutram tamen immunditiam B. Virgo contraxerat: & ideo non indigebat purgari.

## QUÆSTIO XXXVIII.

*De baptismo Joannis, in quo quæritur, an sit in se servatorem divinum, & in se servatorem divinum, & in se servatorem divinum.*

Deinde considerandum est de baptismo quo Christus baptizatus est: & quia Christus baptizatus est baptismo Joannis, primo considerandum est de baptismo Joannis in communi; secundo de baptisatione Christi, in se servatorem divinum.

Circa primum queruntur sex articuli.

Primo, utrum conveniens fuerit quod Joannes baptizaret.

Secundo, utrum ille baptizatus fuerit à Deo.

Tertio, utrum consulerit gratiam.

Quarto, utrum alii, præter Christum, illo baptismo debuissent baptizari.

Quinto, utrum baptizatus ille cessare debuerit Christo baptizato.

Sexto, utrum baptizatus baptismo Joannis essent postea baptizandi baptismo Christi.

## ARTICULUS I. 208

*Utrum fuerit conveniens Joannem baptizare.*

IV. dist. 11. quæst. 11. art. 2. ad 4.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Joannem baptizare. Omnis enim ritus sacramentalis ad aliquam pertinet legem. Sed Joannes non introduxit novam legem. Ergo inconveniens fuit quod novum ritum baptismi introduceret.

2. Præterea. Joannes fuit missus à Deo in testimonium, tamquam Propheta, secundum illud Luc. 1. 76. *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis.* Sed Propheta qui fuerant ante Christum, non introduxerunt novum ritum, sed ad observantiam legalium rituum inducebant, ut patet Malach. ult. 4. *Memento legis Moysi servus mei.* Ergo nec Joannes novum ritum baptizandi introducere debuit.

3. Præterea. Ubi est aliquid rei superfluitas, non est ad illud aliquid addendum. Sed Judæi excedebant in superfluitate baptismatum: dicitur enim Marci vii. 3. *quod Pharisæi, & omnes judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant.* & à foro venientes: nisi baptizentur, non comedunt; & alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & argumentorum, & lictorum. Ergo inconveniens fuit quod Joannes baptizaret.

Sed contra est auctoritas Scripturæ, Matth. 111. 6. ubi præmissa sanctitate Joannis, subditur, *quod exibat ad eum multi, & baptizabantur ab eo in Jordane.*

Ad tertium dicendum, quod baptismus est quoddam spirituale remedium: quanto autem aliquid est magis perfectum, tanto minori remedio indiget. Unde ex hoc ipso quod Christus est maxime perfectus, conveniens fuit quod non baptizaretur perfectissimo baptismo; sicut ille qui est sanus, non indiget efficaci medicina.

ARTICULUS III. 216

Utrum Christus convenienti tempore fuerit baptizatus.

IV. dist. IV. quest. 111. art. 1. quest. 1. & dist. XLIV. in princ. expositionis literæ.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non convenienti tempore Christus fuerit baptizatus. Ad hoc enim Christus baptizatus est ut suo exemplo alios ad baptismum provocaret. Sed fideles Christi laudabiliter baptizantur, non solum ante trigessimum annum, sed etiam in infantili ætate. Ergo videtur quod Christus non deberet baptizari in ætate triginta annorum.

2. Præterea. Christus non legitur docuisse, vel miracula fecisse ante baptismum. Sed utilis fuisset mundo, si priori tempore docuisset, incipiens a vigesimo anno, vel etiam prius. Ergo videtur quod Christus, qui pro utilitate hominum venerat, ante trigessimum annum deberet baptizari.

3. Præterea. Indicium sapientiæ divinitus infuse maxime debuit manifestari in Christo. Est autem manifestatum in Daniele tempore sue pueritiæ, secundum illud Dan. xlii. 45. Sufficit Dominus (a) spiritum pueri junioris, cujus nomen Daniel. Ergo multo magis Christus in sua pueritiæ debuit baptizari, & docere.

4. Præterea. Baptismus Joannis ordinatur ad baptismum Christi sicut ad finem. Sed finis est prior in intentione, & posterior in executione. Ergo vel Christus debuit primus à Joanne baptizari, vel ultimus.

Sed contra est quod dicitur Luc. i. 21. Factum est cum baptizaretur omnis populus, & Jesus baptizatus, & orante, &c. & infra. Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta.

Respondeo dicendum, quod Christus conveniens fuit in trigesimo anno baptizatus. Primo quidem quia Christus baptizabatur, quasi ex tunc incipiens docere, & prædicare: ad quod requiritur perfecta ætas, qualis est triginta annorum. Unde legitur Genes. xli. 46. quod triginta annorum erat Joseph, quando accipit regimen Aegypti. Similiter etiam II. Reg. v. 4. legitur de David, quod triginta an-

(a) Vulgata. Spiritum Sanctum.

norum erat, cum regnare coepisset. Ezechiel etiam in trigesimo anno coepit prophetizare, ut habetur Ezech. 1. Secundo, quia, sicut Chryostomus dicit super Matth. (hom. x. parum à princ.) futurum erat ut post baptismum Christus lex cessare inciperet. Et ideo hac ætate Christus ad baptismum venit, quæ potest omnia peccata suscipere, ut lege servata nullus dicat, quod ideo eam solvit, quia implere non potuit. Tertio, quia per hoc quod Christus in ætate perfecta baptizatur, datur intelligi quod baptismus parit viros perfectos, secundum illud Ephes. iv. 13. Donec occurrant omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Unde & ipsa proprietas numeri ad hoc pertinere videtur: confurgit enim trigentarius numerus ex ductu ternarii in denarium. Per ternarium autem intelligitur fides Trinitatis; per denarium autem impletio mandatorum legis; & in his duobus perfectio vite Christianæ consistit.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Gregorius Nazianzenus dicit (in orat. xl. que est de baptismo, aliquant. à med.) Christus non est baptizatus quasi indigeret purificatione, nec quod aliquid illi immunes periculum differendo baptismum; sed cuiusvis alicui in parum redundat periculum, si exeat ex hac vita non indatus veste incorruptionis, scilicet gratia: & licet bonum sit post baptismum baptismum munditiam custodire, potius tamen est, ut ipse dicit, interdum paulisper maculari, quam gratia omnino carere.

Ad secundum dicendum, quod utilitas quæ à Christo provenit hominibus, præcipue est per fidem, & humilitatem: ad quorum utrumque valet quod Christus in pueritiæ, vel adulescentiæ non coepit docere, sed in perfecta ætate. Ad fidem quidem, quia per hoc aperit in eo vera natura humanitatis, quod per temporum incrementa corporaliter proficere: & ne huiusmodi profectus putaretur esse phantasticus, noluit sapientiam suam, vel virtutem manifestare ante perfectam corporis ætatem: ad humilitatem vero, ne ante perfectam ætatem aliquis presumptuose prælationis gradum, & docendi officium assumar.

Ad tertium dicendum, quod Christus proponeretur hominibus in exemplum omnium: & ideo oportuit in eo ostendi id quod competit omnibus secundum legem communem, ut scilicet in ætate perfecta doceret. Sed, sicut Gregorius Nazianzenus dicit (in orat. xxxix. quæ est in sancta Lumina, à med.) non est lex communis quod raro contingit, scilicet nec una virundo ver facit. Aliquibus enim ex quadam speciali dispensatione secundum divinæ sapientie

ordinem, & ratione concessum est præter legem communem ut ante perfectam ætatem officium vel prædicandi, vel docendi haberent, sicut Salomon, Daniel, & Hieremias.

Ad quartum dicendum, quod Christus nec prius, nec ultimus debuit à Joanne baptizari: quia, ut Chryostomus dicit super Matth. (ultus Auctor hom. xv. in op. imperf. in princ.) Christus ad hoc baptizabatur, ut con-

munet prædicationem, & baptismum Joannis, & ut testimonium acciperet à Joanne. Non autem creditum fuisset testimonio Joannis, nisi postquam fueront multi baptizati ab ipso, & ideo non debuit primus à Joanne baptizari. Similiter etiam nec ultimus; quia, sicut ipse ibidem subdit, sicut lux Solis non expectat occasum luciferi, sed eo procedente egreditur, & suo lumine obscurat illum candorem; sic & Christus non expectavit ut cursum suum Joannes implet, sed ab eo decente, & baptizante apparuit.

ARTICULUS IV. 217

Utrum Christus debuerit in Jordane baptizari.

Matth. 111.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus non deberet baptizari in Jordane. Veritas enim debet respondere figuræ. Sed figura baptismi præcessit in transitu maris rubri, ubi Aegyptii sunt submersi, sicut peccata delentur in baptismo. Ergo videtur quod Christus magis deberet baptizari in mari rubro quam in flumine Jordanis.

2. Præterea. Jordanis interpretatur descensus. Sed per baptismum aliquis ascendit magis quam descendat: unde etiam Matth. 111. 16. dicitur, quod baptizatus Jesus confestim ascendit de aqua. Ergo videtur inconveniens fuisse quod Christus in Jordane baptizaretur.

3. Præterea. Transcuntibus filiis Israel, aqua Jordanis conversæ sunt retrorsum, ut legitur Josue iv. & sicut etiam in Psal. cxlii. dicitur. Sed illi qui baptizantur, non retrorsum, sed in anteriora progrediuntur. Non ergo fuit conveniens quod Christus in Jordane baptizaretur.

Sed contra est quod dicitur Marci 1. 9. quod baptizatus est Jesus à Joanne in Jordane.

Respondeo dicendum, quod fluvius Jordanis fuit per quem filii Israel in terram promissionis intraverunt. Hoc autem habet baptismus Christi speciale præ omnibus baptismatibus, quod introducit in regnum Dei, quod per terram promissionis significatur: unde dicitur Joan. 1. 11. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei. Ad S. Th. Op. Tom. 7.

quod etiam pertinet quod Elias divisit aquas Jordanis, quando erat in curru igneo sapientium in caelum, ut dicitur IV. Reg. 11. quia scilicet transcuntibus per aquam baptismi, per ignem Spiritus Sancti patet aditus in caelum. Et ideo conveniens fuit ut Christus in Jordane baptizaretur.

Ad primum ergo dicendum, quod transitus maris rubri presignavit baptismum quantum ad hoc quod baptismus delet peccata: sed transitus Jordanis quantum ad hoc quod aperit januam regni caelestis, qui est principalior effectus baptismi, est per solum Christum impletus. Et ideo conveniens fuit quod Christus in Jordane quam in mari baptizaretur.

Ad secundum dicendum, quod in baptismo est ascensus per profectum gratiæ, qui requirit descensum humilitatis, secundum illud Jacobi 1v. 6. Humilioris autem dat gratiam: & ad tale descensum referendum est nomen Jordanis.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in serm. de Epiphania, sicut ante apud Jordanis reversum conversis fuerant, ita modo Christo baptizato, reversum peccata conversa sunt.

Vel etiam per hoc significatur quod contra descensum aquarum, benedictionum fluvius sursum ferbatur.

ARTICULUS V. 218

Utrum Christus baptizatus, calis debuerit aperiri.

Inf. quest. xlix. art. 5. ad 3. & III. dist. xviii. art. 6. quest. 111. ad 2. & dist. 111. quest. 111. art. 2. ad 4. & opus. IX. cap. vi.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod Christo baptizato, non deberet calis aperiri. Illi enim apertendi sunt calis qui indiget intrare in caelum, quasi extra caelum existens. Sed Christus semper erat in caelo, secundum illud Joann. 1. 1. 13. Filius hominis, qui est in caelo. Ergo videtur quod non deberet calis aperiri.

2. Præterea. Apertio eorum aut intelligitur spiritualiter, aut corporaliter. Sed non potest intelligi corporaliter: quia corpora caelestia sunt impassibilia, & infrangibilia, secundum illud, Job xxxvii. 18. Tu fossam cum eo fabricatur et calis, qui solidissimi quasi aere subsistent. Similiter etiam nec potest intelligi spiritualiter: quia ante oculos Filii Dei calis aëris clausi non fuerant. Ergo videtur inconveniens dici, quod baptizato Christo, aperti fuerint calis.

3. Præterea. Fidelibus cælum apertum est per Christi passionem, secundum illud Heb. x. 19.

istum Christi, ut dictum est (in corp. & art. 1. huj. quæst.) Sacramenta autem ex vi institutionis suam habent effectum.

## ARTICULUS IV. 211

Utrum alii, præter Christum, baptismo Joannis baptizari debeant.

IV. dist. 11. quæst. 11. art. 3. quæst. 2.

**A**D quartum sic proceditur. Videtur quod baptismo Joannis solus Christus debuerit baptizari. Quia, sicut dictum est (art. 1. huj. quæst.) ad hoc Joannes baptizavit, ut Christus baptizaretur, sicut Augustinus dicit super Joannem (tract. xiiii. ante med.) Sed quod est proprium Christo, non debet aliis convenire. Ergo nulli alii debuerunt illo baptismo baptizari.

2. Præterea. Quicumque baptizatur, aut accipit aliquid à baptismo, aut baptismo aliquid confert. Sed à baptismo Joannis nullus aliquid accipere poterat, quia in eo gratia non conferebatur, ut dictum est (art. præc.) nec aliquis baptismo aliquid conferre poterat, nisi Christus: qui *factus mundissime super carnis aquas (sanctificavit)*. Ergo videtur quod solus Christus baptismo Joannis debuerit baptizari.

3. Præterea. Si alii illo baptismo baptizabantur, hoc non erat, nisi ut prepararentur ad baptismum Christi: & sic conveniens videbatur quod sicut baptismus Christi omnibus confertur, & magnis, & parvis, & Gentilibus, & Judæis, ita etiam & baptismus Joannis confertur. Sed non legitur, quod ab eo pueri baptizarentur, nec etiam Gentiles: dicitur enim Marci 1. 5. quod egrediebantur ad illum Hierosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo. Ergo videtur quod solus Christus à Joanne debuerit baptizari.

Sed contra est quod dicitur Luc. 111. 21. *Factum est cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante, aperti sunt caeli.*

Respondeo dicendum, quod duplici de causa oportuit alios à Christo baptizari baptismo Joannis. Primo quidem, ut Augustinus dicit super Joannem (tract. 11. à med. & tract. v. inter princ. & med.) quia *si solus Christus baptismo Joannis baptizatus esset, non decessens qui dicerent, baptismum Joannis, quo Christus est baptizatus, digniorem esse baptismum Christi, quo alii baptizantur*. Secundo quia oportebat per baptismum Joannis alios ad baptismum Christi preparari, sicut dictum est (art. 1. & 3. huj. quæst.)

Ad primum ergo dicendum, quod non propter hoc solum fuit Joannis baptismus institutus ut Christus baptizaretur, sed etiam

(a) Al. in Christo.

propter alias causas, ut dictum est (art. 1. huj. quæst.) Et tamen si ad hoc solum esset institutus ut Christus eo baptizaretur, oportebat prædictum inconveniens vitari, aliis hoc baptismo baptizatis.

Ad secundum dicendum, quod alii qui ad baptismum Joannis accedebant, non poterant quidem baptismo aliquid conferre, nec tamen à baptismo gratiam accipiebant, sed solum penitentiae signum.

Ad tertium dicendum, quod quia ille baptismus erat penitentiae, quæ pueris non convenit, ideo baptismo illo pueri non baptizabantur. Conferre autem Gentibus viam salutis solus Christo referebatur, qui est *expectatio gentium*, ut dicitur Gen. penult. Sed & ipse Christus Apostolis inhibuit Gentilibus Evangelium prædicare ante passionem, & resurrectionem. Unde multo minus convenit per Joannem Gentiles ad baptismum admitti.

## ARTICULUS V. 212

Utrum baptismus Joannis debuerit cessare, Christo baptizato.

IV. dist. 11. quæst. 11. art. 1. quæst. 3. ad 1. & quæst. 4. per totam.

**A**D quintum sic proceditur. Videtur quod baptismus Joannis cessare debuerit, postquam Christus fuit baptizatus. Dicitur enim Joan. 1. 31. *Ut manifestetur in Israel, propterea veni in aqua baptizans*. Sed (a) Christo baptizato sufficienter fuit manifestatus tum per testimonium Joannis, tum per descensum columnæ, tum etiam testimonio paternæ vocis. Ergo videtur quod non debuerit postea baptismus Joannis durare.

2. Præterea. Augustinus dicit sup. Joann. (tract. 11. inter med. & fin.) *Baptizatus est Christus, & cessavit Joannis baptismus*. Ergo videtur quod Joannes post Christum baptismum non debuerit baptizare.

3. Præterea. Baptismus Joannis erat preparatorius ad baptismum Christi. Sed baptismus Christi incepit statim Christo baptizato: quia *factus fuit mundissime carnis vim vegetativam contulit aquis*, ut Beda dicit (cap. x. in Luc. sup. illud Luc. 111. *Factum est autem*). Ergo videtur quod baptismus Joannis cessaverit, Christo baptizato.

Sed contra est quod dicitur Joan. xiiii. *quod venit Jesus in Judæam terram, & baptizabat: erat autem & Joannes baptizans*. Sed Christus non baptizavit, nisi postquam fuit baptizatus. Ergo videtur quod postquam Christus fuit baptizatus, adhuc Joannes baptizabat.

Respondeo dicendum, quod baptismus

Joan-

Joannis cessare non debuit, Christo baptizato.

Primo quidem, quia, ut Chrysostomus dicit (hom. xxviii. in Joan. parum à princ.) *si cessasset Joannes baptizare, Christo baptizato, cessasset Joannes quod zelo, vel ira hoc faceret*. Secundo quia si cessasset à baptizando, Christo baptizante, discipulos suos in majorem zelum immisisset. Tertio, quia persistens in baptizando, suos auditores mitebat ad Christum. Quarto, quia, ut Beda dicit (hab. in Gloss. ord. sup. illud Joan. 111. *Erat autem Joannes*) *adhuc permanebat umbra veteris legis; nec debuit præcessor cessare, donec veritas manifestaretur*.

Ad primum ergo dicendum, quod nondum Christus erat plene manifestatus eo baptizato: & ideo adhuc necessarium erat quod Joannes baptizaret.

Ad secundum dicendum, quod baptizato Christo, cessavit baptismus Joannis; non tamen statim, sed eo incarcerato. Unde Chrysostomus dicit super Joannem (hom. xxviii. par. à princ.) *Asistimus, propter hoc permissum esse mortem Joannis, & eo sublato de medio, Christum maxime prædicare cepisse, ut omni multitudinis affectu ad Christum transiret, & non ultra his quæ de utroque erant, sententiis scinderetur*.

Ad tertium dicendum, quod baptismus Joannis preparatorius erat non solum ad hoc quod Christus baptizaretur; sed etiam ad hoc quod alii ad Christi baptismum accederent: quod nondum fuit impletum, Christo baptizato.

## ARTICULUS VI. 213

Utrum baptizati baptismum Joannis essent postea baptismum Christi baptizandi.

Inf. quæst. lxxvi. art. 9. ad 2. & IV. dist. 11. quæst. 11. art. 4.

**A**D sextum sic proceditur. Videtur quod baptizati baptismum Joannis non fuerint baptizandi baptismum Christi. Joannes enim non fuit minor Apostolis; cum de eo scriptum sit Matth. xi. 11. *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*. Sed illi qui baptizabantur ab Apostolis: non iterum baptizabantur, sed solummodo addebatur ejus impositio manuum: dicitur enim Act. v. 17. 16. quod aliqui baptizati tantum erant à Philippo in nomine Domini Jesu, & tunc Apostoli, scilicet Petrus, & Joannes, imponerunt manus super illos & accipiebant Spiritum Sanctum. Ergo videtur quod baptizati à Joanne non debuerint baptizari baptismum Christi.

2. Præterea. Apostoli fuerunt baptizati baptismum Joannis: fuerunt enim quidam eorum discipuli Joannis, ut patet Joan. 1.

Sed Apostoli non videntur esse baptizati baptismum Christi; dicitur enim Joan. 11. 2. quod *Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus*. Ergo videtur quod baptizati baptismum Joannis non erant baptizandi baptismum Christi.

3. Præterea. Minor est qui baptizatur, quam qui baptizat. Sed ipse Joannes non legitur baptizatus baptismum Christi. Ergo multo minus illi qui à Joanne baptizabantur, indigebant baptismum Christi.

4. Præterea. Act. xix. 1. dicitur, quod *Paulus invenit quosdam de discipulis, dixerique ad eos: Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate*. Et sequitur, quod *baptizati sunt iterum in nomine Domini nostri Jesu Christi*. Sic ergo videtur quod quia esse Spiritum Sanctum nesciebant, oportuit eos iterum baptizari, sicut Hieronymus dicit super Joannem (sup. illud cap. 111. *Effundam de Spiritu meo*) & in epist. de vivo unius uxoris (lxxxiii. ad Ocean. cap. 111. à med.) & Ambrosius dicit in Lib. 1. de Spiritu Sancto (cap. 111. cir. princ.). Sed quidam fuerunt baptizati baptismum Joannis, qui habebant plenam notitiam Trinitatis. Ergo non erant baptizandi iterum baptismum Christi.

5. Præterea. Rom. x. sup. illud, *Hoc est verbum fidei quod prædicamus*, dicit Glossa Augustini (ord. tract. lxxx. in Joan. à med.) *Unde est ista tanta virtus aque, ut corpus non quia dicitur, sed quia creditur? Ex quo patet quod virtus baptismi dependet ex fide*. Sed forma baptismi Joannis significavit fidem Christi, in qua nos baptizamur: dicit enim Paulus Act. xix. 4. *Joannes baptizabat baptismum penitentiae populum, dicens, in eum qui venturus est post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum*. Ergo videtur quod non oportebat baptizatos baptismum Joannis iterum baptizari baptismum Christi.

Sed contra est quod Augustinus dicit super Joannem (tract. v. à med.) *Qui baptizati sunt baptismo Joannis, oportebat ut baptizarentur baptismate Christi*.

Respondeo dicendum, quod secundum opinionem Magistri, in 11. distinctione Lib. 11. sententiarum, illi qui baptizati sunt à Joanne, nescientes Spiritum sanctum esse, ac ipem ponentes in illius baptismum, postea baptizati sunt baptismum Christi illi vero qui ipem non poluerunt in baptismum Joannis, & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credebant, non fuerunt postea baptizati, sed impositione manuum ab Apostolis super eos facta Spiritum Sanctum receperunt.

Et hoc quidem verum est quantum ad primam partem, quod multis auctoritatibus confirmatur.

fir.

firmatur: sed quætam ad secundam partem est penitus irrationabile quod dicitur. Primo quidem quia baptismus Joannis neque gratiam conferbat, neque caracterem imprimebat, sed erat solum in aqua, ut ipsemet dicit Matth. 111. Unde baptizatis fides, vel spes, quam habebant in Christo, non poterat hunc defectum supplere. Secundo quia quando in sacramento omittitur, aliquid quod est de necessitate sacramenti, non solum oportet suppleri quod fuerat omisum, sed oportet totaliter innovari. Est autem de necessitate baptismi Christi quod fiat non solum in aqua, sed etiam in Spiritu Sancto, secundum illud Joan. 111. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde illis qui tantum in aqua baptizati erant baptismus Joannis, non solum erat supplendum, quod deerat (ut scilicet daretur eis Spiritus Sanctus per impositionem manuum) sed erant iterato totaliter baptizandi in aqua, & Spiritu.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit super Joan. (tract. v. vers. fin.) ideo post Joannem baptizatum est, quia non dabat baptismum Christi, sed suum: quod autem dabatur à Petro, & si quod datum est à Juda, Christi erat. Et ideo si quos baptizavit Judas, non sunt iterum baptizati: baptismus enim tale est qualis est ille in cuius jus potestatis datur, non qualis ille cuius ministerio datur. Et inde est etiam quod baptizati à Philippo diacono, qui baptismum Christi dabat, non sunt iterum baptizati: sed acceperunt manuum impositionem per Apostolos, sicut baptizati per sacerdotes confirmantur per Episcopos.

Ad secundum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit ad Seleucianum (epist. cot. xv. al. cv. 11. in med.), intelligimus discipulos Christi fuisse baptizatos sive baptismum Joannis (sicut nonnulli arbitrantur) sive, quod magis credibile est, baptismum Christi: neque enim ministerio baptizandi defuit, ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis ministerio, quando eis pedes lavit.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Chrysostomus dicit super Matth. (alias Auctor hom. 11. in op. imperf. parum à princ.) per hoc quod Christus Joanni dicens, *Ego à te debeo baptizari*, respondit, *Sine modo*, ostenditur quod postea Christus baptizavit Joannem: & hoc dicit in quibusdam libris apocryphis manifeste scriptum esse. Certum tamen est, ut Hieronymus dicit super Matth. (sup. illud cap. 111. sine modo), quod sicut Christus fuit baptizatus in aqua à Joanne, ita Joannes à Christo erat in Spiritu baptizandus.

Ad quartum dicendum, quod non est tota causa quare illi fuerunt baptizati post bap-

timus Joannis, quia Spiritum Sanctum non cognoverant, sed quia non erant baptismum Christi baptizati.

Ad quintum dicendum, quod, sicut dicit Augustinus contra Faustum (Lib. XIX. cap. 111.), sacramenta nostra sunt signa præsentis gratiæ; sacramenta vero veteris legis fuerunt signa gratiæ future. Unde ex hoc ipso quod Joannes baptizavit in nomine venturi, datur intelligi quod non dabat baptismum Christi, qui est sacramentum novæ legis.

### QUÆSTIO XXXIX.

#### De baptisatione Christi,

in octo articulis divisâ.

**D**Einde considerandum est de baptisatione Christi: & circa hoc quaeruntur octo:

Primo, utrum Christus debuerit baptizari.

Secundo, utrum debuerit baptizari baptismum Joannis.

Tertio, de tempore baptismi.

Quarto, de loco.

Quinto, de hoc quod ei sunt cæli aperti.

Sexto, de Spiritu Sancto apparente in specie columbæ.

Septimo, utrum illa columba fuerit verum animal.

Octavo, de voce patrum testimonii.

### ARTICULUS I. 214

Utrum fuerit conveniens Christum baptizari.

*IV. dist. 11. quæst. 11. art. 3. quæst. 1. & quæst. 111. art. 2. quæst. 1. & Matth. 111. & op. lx. cap. 1x.*

**A**D primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Christum baptizari. Baptizari enim est abluere. Sed Christo non convenit abluere, in quo nulla fuit impunitas. Ergo videtur quod Christum non decuerit baptizari.

2. Præterea. Christus circumcissionem suscepit, ut impleter legem. Sed baptismus non pertinebat ad legem. Ergo non debebat baptizari.

3. Præterea. Primum movens in quolibet genere est immobile secundum illum motum; sicut cælum, quod est primum alterans, non est alterabile. Sed Christus est primum baptizans, secundum illud Joan. 1. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, hic est qui baptizat.* Ergo ipsum non decuit baptizari.

Sed

Sed contra est quod dicitur Matth. 111. 15. *quod venit Jesus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.*

Respondendo dicendum, quod conveniens fuit Christum baptizari. Primo quidem quia, ut Ambrosius dicit super Luc. (sup. illud cap. 111. *Factum est autem &c.*) *baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut abluta per carnem Christi, qui peccatum non cognovit, baptismatis vim haberent; & ut sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis, sicut Chrysostomus dicit super Matth. (alias Auctor hom. 11. in op. imperf. à princ.)* Secundo quia, sicut Chrysostomus dicit super Matth. (ibid.) *quoniam ipse non esset peccator, tamen naturam suscepit peccatricem, & similitudinem carnis peccati: præterea est pro se baptismate non indigebat, tamen in aliis carnalis natura opus habebat; & sicut Gregorius Nazianzenus dicit (in orat. xxxix. quæ est in sancta Lumina à med.)* *baptizatus est Christus, ut totum veteranum Adam immergat aqua. Tertio baptizari voluit, sicut Augustinus dicit in sermone de Epiphania. (xxxix. de temp. implic. parum à princ.)* *quia voluit facere, quod faciendum omnibus imperavit. Et hoc est quod ipse dicit: Sic decet nos implere omnem justitiam (Matth. 111. 15.)* Ut enim Ambrosius dicit super Luc. (loc. sup. cit.) *hæc est justitia ut quod alterum facere velis, prior ipse incipias, & tuos alios horeris exemplo.*

Ad primum ergo dicendum, quod Christus non fuit baptizatus, ut ablueretur, sed ut ablueret, sicut dictum est (in corp.)

Ad secundum dicendum, quod Christus non solum debebat implere ea quæ erant veteris legis, sed etiam inchoare ea quæ sunt novæ legis: ideo non solum voluit circumcidi, sed etiam baptizari.

Ad tertium dicendum, quod Christus est primum baptizans spiritualiter; & sic non est baptizatus, sed solum in aqua.

### ARTICULUS II. 215

Utrum Christus baptismum Joannis debuerit baptizari.

**A**D secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non debuerit baptizari baptismum Joannis. Baptismus enim Joannis fuit baptismus penitentiae. Sed penitentia Christo non convenit, quia nullum habuit peccatum. Ergo videtur quod non debuerit baptizari baptismum Joannis.

2. Præterea. Baptismus Joannis, sicut dicit Chrysostomus (hom. xii. in Matth. à med.) medium fuit inter baptismum Judæorum, & Christi baptismum. Sed medium sapientiam naturam extremorum. Cum ergo Christus

non fuerit baptizatus baptismate legali, nec etiam baptismate suo, videtur quod pari ratione baptismate Joannis baptizari non debuerit.

3. Præterea. Omne quod in rebus humanis est optimum, debet attribui Christo. Sed baptismus Joannis non tenet supremum locum inter baptismata. Ergo non convenit Christum baptizari baptismum Joannis.

Sed contra est quod dicitur Matth. 111. 33. *quod venit Jesus in Jordanem, ut baptizaretur à Joanne.*

Respondendo dicendum, quod, sicut dicit Augustinus super Joan. (tract. xii. aliquant. à princ.) *baptizatus Dominus baptizabat, non eo baptismate quo baptizatus est. Unde cum ipse baptizaret baptismum proprio, consequens est quod non fuerit baptizatus suo baptismate, sed baptismate Joannis.*

Et hoc fuit conveniens. Primo quidem propter conditionem baptismi Joannis, qui non baptizavit in Spiritu, sed solum in aqua. Christus autem spiritualiter baptismate non indigebat, qui à principio suæ conceptionis gratia Spiritus Sancti repletus fuit, ut patet ex dictis (quæst. xxxix. art. 4.) Et hæc est ratio Chrysostomi (alterius Auctoris hom. 11. in op. imperf.) Secundo, ut Beda dicit (cap. 11. in Mar.) *baptizatus est baptismum Joannis, ut baptismum suum baptismum Joannis comprehenderet. Tertio. Sicut Gregorius Nazianzenus dicit (loc. citat. artic. præc.)* *accitit Christus ad baptismum Joannis sanctificaturus baptismum.*

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. præc.) Christus baptizari voluit, ut nos exemplo suo induceret ad baptismum. Et ideo ad hoc quod esset efficacior ejus inductio, voluit baptizari baptismum quo manifeste non indigebat, ut homines ad baptismum accederent quo indigebant. Unde Ambrosius dicit super Luc. (super illud cap. 111. *Factum est autem*) *Nemo refugiat lavacrum gratiæ, quando Christus lavacrum penitentiae non refugit.*

Ad secundum dicendum, quod baptismus Judæorum in lege præceptus, erat solum figuratus; baptismus autem Joannis aliquid erat realis, inquantum inducebat homines ad abstinendum à peccatis; baptismus autem Christi habet efficaciam mundandi à peccato, & gratiam conferendi. Christus autem neque indigebat percipere remissionem peccatorum, quæ in eo non erant, neque recipere gratiam, quæ plenus erat: similiter etiam cum ipse sit veritas, non competeat ei id quod in sola figura gerebatur. Et ideo magis congruum fuit quod baptizaretur baptismum medio quam aliquo extremorum.

Ad

Respondeo dicendum, quod conveniens fuit Joannem baptizari, propter quatuor. Primo quidem quia oportebat Christum à Joanne baptizari, ut baptismum consecraret, ut Augustinus dicit super Joan. (implic. tract. v. aliquant. à princ.) Secundo, ut Christus manifestaretur. Unde ipse Joannes Baptista dicit Joan. 1. 31. *Ut manifestetur*, scilicet Christus, in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans: concurrentibus enim turbis ad baptismum, annuntiabat Christum: quod quidem facilius factum est, quam si per singulos discursisset, ut Chrylóstomus dicit super Joan. (hom. xv. inter prin. & med.) Tertio, ut suo baptismo affluerent homines ad baptismum Christi. Unde Gregorius dicit in quadam hom. (vii. in Evang. ante med.) quod *ideo Joannes baptizavit, ut prosecutionis sue ordinem servans, qui nasciturus Dominum nascendo præveniret, baptizando quoque baptizatum Dominum præveniret.* Quarto, ut ad penitentiam homines inducens, homines præpararet ad digne suscipiendum baptismum Christi. Unde ibidem Beda dicit (in hom. circumcis. quæ est inter hom. totius anni, parum à princ.) *quantum cathecumenis nondum baptizatis prædestinatio fidei, tantum præfuit baptisma Joannis ante baptismum Christi: quia sicut ille prædicabat penitentiam, & baptismum Christi prænuuntiabat, & in cognitionem veritatis, quæ mundo apparuit, attrahebat; sic ministri Ecclesiæ primo erudiunt, post peccata eorum redarguunt, demum in baptismum Christi remissionem peccatorum promittunt.*

Ad primum ergo dicendum, quod baptismus Joannis non erat per se sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi: & ideo aliquant. pertinebat ad legem Christi, non autem ad legem Moysi.

Ad secundum dicendum, quod Joannes non solum fuit propheta, sed *piusquam propheta*, ut dicitur Matth. xii. Fuit enim terminus legis, & initium Evangelii. Et ideo magis pertinebat ad eum verbo, & opere inducere homines ad legem Christi, quam ad observantiam veteris legis.

Ad tertium dicendum, quod baptismata illa Phariseorum erant inania, utpote ad solam mundiciam carnis ordinata; sed baptismus Joannis ordinabatur ad mundiciam spirituales: inducebat enim homines ad penitentiam, ut dictum est (in corp.)

## ARTICULUS II. 209

*Utrum baptismus Joannis fuerit à Deo.*

*II. dist. 11. quæst. 11. art. 1. quæst. 3.*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur quod baptismus Joannis non fuerit à Deo. Nihil enim sacramentale, quod est à Deo, denominatur ab homine puro; sicut baptismus novæ legis non dicitur Petri, vel Pauli, sed Christi. Sed ille baptismus denominatur à Joanne, secundum illud Matth. xxi. 25. *Baptismus Joannis unde erat, à celo, an à hominibus?* Ergo baptismus Joannis non fuit à Deo.

2. Præterea. Omnis doctrina de novo à Deo procedens aliquibus signis confirmatur: unde & Dominus Exodi iv. dedit Moysi potestatem signa faciendi: & Heb. iii. dicitur: *Cum fides nostra principium accepisset enarrari à Deo, per eos qui audierunt, in nos confirmata est, consistante Deo signis, & prodigiis.* Sed de Joanne Baptista dicitur Joan. x. 41. *Joannes signum fecit nullum.* Ergo videtur quod baptismus quo baptizavit, non esset à Deo.

3. Præterea. Sacramenta, quæ sunt divinitus instituta, aliquibus sacra Scripturæ præceptis continentur. Sed baptismus Joannis non præcipitur aliquo præcepto sacra Scripturæ. Ergo videtur quod non fuerit à Deo.

Sed contra est quod dicitur Joan. 1. 33. *Qui me misit baptizare in aqua; ille mihi dicit: Super quem videris Spiritum &c.*

Respondeo dicendum, quod in baptismo Joannis duo possunt considerari, scilicet ipse ritus baptizandi, & effectus baptismi. Ritum quidem baptizandi non fuit ex hominibus, sed à Deo, qui familiariter Spiritus Sancti revelatione Joannem ad baptizandum misit. Effectus autem illius baptismi fuit ab homine: quia nihil in illo baptismo efficiebatur quod homo facere non posset. Unde non fuit à solo Deo, nisi in quantum Deus in homine operatur.

Ad primum ergo dicendum, quod per baptismum novæ legis homines interius per Spiritum Sanctum baptizantur; quod facit solus Deus. Per baptismum autem Joannis solum corpus mundabatur aqua. Unde dicitur Matth. 11. 11. *Ego baptizo vos in aqua... ille vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Et ideo baptismus Joannis denominatur ab ipso, quia scilicet nihil in eo agebatur quod ipse non ageret; baptismus autem novæ legis non denominatur à ministro, qui principalem baptismi effectum non agit, scilicet interiorem emundationem.

Ad secundum dicendum, quod tota doctrina, & operatio Joannis ordinabatur ad Christum.

Christum, qui multitudine signorum & suam & Joannis doctrinam confirmavit. Si autem Joannes signa fecisset, homines ex æquo Joanni, & Christo attendissent. Et ideo ut homines principaliter Christo intenderent, non est datum Joanni ut faceret signum. Judæis tamen querentibus, quare baptizaret, confirmavit suum officium auctoritate Scripturæ, dicens: *Ego vox clamantis in deserto, &c.* ut dicitur Joan. 1. 23. Ipsa etiam austeritas vitæ ejus officium commendabat: quia, ut Chrylóstomus dicit super Matth. (hom. x. à med.) *mirabile erat in humano corpore tantam (a) patientiam videre.*

Ad tertium dicendum, quod baptismus Joannis non fuit ordinatus à Deo, nisi ut modico tempore duraret, propter causas prædictas: & ideo non fuit commendatus aliquo præcepto communiter edito in sacra Scriptura, sed familiari quadam revelatione Spiritus Sancti, ut dictum est (art. præc.)

## ARTICULUS III. 210

*Utrum in baptismo Joannis gratia daretur.*

*IV. dist. 11. quæst. 11. art. 1. quæst. 1. corp.*

**A**D tertium sic proceditur. Videtur quod in baptismo Joannis gratia daretur. Dicitur enim Marci 1. 4. *Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum penitentiae in remissionem peccatorum.* Sed penitentia, & remissio peccatorum est per gratiam. Ergo baptismus Joannis gratiam conferebat.

2. Præterea. Baptizandi à Joanne confitebantur peccata sua, ut habetur Matth. 111. & Marci 1. Sed confessio peccatorum ordinatur ad peccatorum remissionem, quæ fit per gratiam. Ergo in baptismo Joannis gratia conferebatur.

2. Præterea. Baptismus Joannis propinquior erat baptismum Christi quam circumcisio. Sed per circumcisioem remittebatur peccatum originale: quia, ut Beda dicit (in hom. circumcis. parum à princ.) *idem salutaris curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus agere revelat gratia tempore consuevit.* Ergo multo magis baptismus Joannis remissionem peccatorum operabatur; quod sine gratia fieri non potest.

Sed contra est quod Matth. 111. 11. dicitur: *Ego quidem baptizo vos in aqua in penitentiam: quod exponens Gregorius in quadam homil. (vii. in Evang. ante med.) dicit: Joannes non in spiritu, sed in aqua baptizabat, quia peccata solvere non valebat.* Sed gratia est à Spiritu Sancto, & per eam peccata tolluntur. Ergo baptismus Joannis gratiam non conferebat.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. 1. huj. quæst. & art. 2. ad 2.) tota doctrina, & operatio Joannis preparatoria erat ad Christum; sicut ministri, & inferioris artificis est preparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex. Gratia autem conferenda erat hominibus per Christum, secundum illud Joan. 1. 17. *Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est.* Et ideo baptismus Joannis gratiam non conferebat; sed solum ad gratiam præparabat tripliciter. Uno quidem modo per doctrinam Joannis inducentem homines ad fidem Christi; alio modo affluendo homines ad ritum baptismi Christi; tertio modo per penitentiam præparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod in illis verbis, ut Beda dicit (cap. 11. in Mar. sup. illud, *Fuit Joannes in deserto*,) potest intelligi duplex baptismus. Unus quidem, quem Joannes baptizando conferebat, qui dicitur baptismus penitentiae, quia scilicet ille baptismus erat quoddam inductivum ad penitentiam, & quasi quoddam protestatio, qua protestabantur homines (b) se penitentiam acturos: alius autem est baptismus Christi, per quem peccata remittuntur, quem Joannes dare non poterat, sed solum prædicabat dicens: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto.*

Vel potest dici, quod prædicabat baptismum penitentiae, id est inducentem ad penitentiam: quæ quidem penitentia ducit homines in remissionem peccatorum.

Vel potest dici, quod per baptismum Christi, ut Hieronymus dicit (alius Auctor sup. illud Marci 1. *Prædicans baptismum penitentiae*,) gratia datur, quæ peccata gratis dimittuntur, quod autem consummatur per sponsum, initiatur per parvum, scilicet per Joannem. Unde dicitur, quod baptizabat, & prædicabat baptismum penitentiae in remissionem peccatorum, non ideo quia hoc ipse perferret, sed quia preparando ad hoc homines disponebat.

Ad secundum dicendum, quod illa confessio peccatorum non fiebat ad remissionem peccatorum statim per baptismum Joannis exhibendam, sed consequendam per penitentiam consequentem, & per baptismum Christi, ad quem penitentia illa præparabat.

Ad tertium dicendum, quod circumcisio instituta erat ad remedium originalis peccati; sed baptismus Joannis ad hoc non erat institutus, sed solum erat preparatorius ad baptismum Christi.

(a) Ita cum Chrylóstomo edit. fere omnes. Libri mss. plurimi penitentiam. (b) Al. desit. se.

Habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi: unde etiam nec Christi baptismo baptizati, si qui ante eus passionem decederint, celos intrare poterunt. Ergo magis debuerunt aperiri cali Christo patiente, quam eo baptizato.

Sed contra est quod dicitur Luc. 111. 21. *Jesu baptizato, & orante, apertum est celum.*

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. 1. huj. quæst.) Christus baptizari voluit, ut suo baptismo consecraret baptismum, quo nos baptizaremur. Et ideo in baptismo Christi ea demonstrari debuerunt quæ pertinent ad efficaciam nostri baptismi. Circa quam tria sunt consideranda. Primo quidem principalis virtus, ex qua baptismus habet efficaciam, quæ quidem est virtus cælestis. Et ideo, baptizato Christo, apertum est celum, ut ostenderetur quod de cetero cælestis virtus baptismum sanctificaret. Secundo operatur ad efficaciam baptismi fides Ecclesiæ, & ejus qui baptizatur: unde & baptizati fidem profitentur, & baptismus fidei dicitur sacramentum. Per fidem autem inspicimus cælestia, quæ sensum, & rationem humanam excedunt. Et ad hoc significandum, Christo baptizato, apertum sunt cali. Tercio quia per baptismum Christi specialiter aperitur nobis introitus regni cælestis, qui primo homini præclusus fuerat per peccatum. Unde baptizato Christo, apertis sunt cali: ut ostenderetur quod baptizatus pater via in celum. Post baptismum autem necessaria est homini jugis oratio, ad hoc quod celum introeat. Licet enim per baptismum remittantur peccata, remanet tamen peccata, nos impugnans interior, & mundus, & demones, qui impugnant exterior. Et ideo signanter dicitur Luc. 111. quod *Jesu baptizato, & orante, apertum est celum*: quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post baptismum: vel ut deur intelligi quod hoc ipsum quod per baptismum celum aperitur credentibus, est ex virtute orationis Christi. Unde signanter Matth. 111. dicitur, quod apertum est ei celum, id est omnibus propter eum; sicut si Imperator alicui pro alio petenti dicat: *Eccc hoc beneficium non illi do, sed tibi id est propter te illi*, ut Chryostomus (alius Auctor) dicit super Matth. (hom. 14. in op. imperf. à med.)

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Chryostomus dicit super Matth. (ibidem) *fuit Christus secundum dispensationem humanam baptizatus est, quomodo ipse propter se baptismum non indigeret; sic etiam secundum humanam dispensationem apertis sunt ei cali; secundum autem naturam divinam semper erat in cæli.*

Ad secundum dicendum, quod, sicut Hieronymus dicit super Matth. (cap. 111. in hunc loc.) *celi apertis sunt, Christo baptizato, non re-*

*seratione elementorum, sed spiritualibus oculis; sicut & Ezechiel in principio voluminis sui calos apertos esse commemorat. Et hoc probat Chryostomus super Matth. (loc. sup. cit.) dicens, quod si ipsa creatura, scilicet celorum, rupta fuisset, non dixisset, Apertis sunt ei, quia quod corporaliter aperitur, omnibus est apertum. Unde etiam Marci 1. 10. expresse dicitur, quod *Jesus statim ascendens de aqua, vidit apertos calos*; quasi ipsa apertio celorum ad visionem Christi referatur. Quod quidem aliqui referunt ad visionem corporalem, dicentes, quod circa Christum baptismum tantus splendor fulsit in baptismo, ut viderentur cali aperti. Potest etiam referri ad imaginariam visionem: per quem modum Ezechiel vidit calos apertos: formabatur enim ex virtute divina, & voluntate rationis talis visio in imaginatione Christi, ad designandum quod per baptismum celi aditus hominibus aperitur. Potest etiam ad visionem intellectualem referri, prout scilicet Christus vidit, jam baptismum sanctificato, apertum esse celum hominibus, quod tamen etiam ante viderat esse sciendum.*

Ad tertium dicendum, quod per passionem Christi aperitur celum (a) hominibus, sicut per causam communem apertiois celorum. Oportet tamen hanc causam communem apertiois celorum singulari applicari, ad hoc quod celum introeant: quod quidem fit per baptismum, secundum illud Rom. 6. 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Et ideo potius fit mentio de apertione celorum in baptismo quam in passione Christi.

Vel, sicut Chryostomus dicit super Matth. (alius Auctor hom. 4. in op. imperf. à med.) *baptizato Christo, cali tantum sunt aperti; postquam vero tyrannum vicit per crucem, quia non erant necessariæ portæ celo nunquam claudendo, non dicunt Angeli, Aperite portas, jam enim erant aperte; sed, Tollite portas, per quod dat intelligere Chryostomus quod obstatula, quibus prius obstitentibus animæ defunctorum introire non poterant celos, sunt totaliter per passionem Christi ablata; sed in baptismo Christi sunt aperta, quasi manifestata jam via per quam homines erant in celum intraturi.*

AR-

(a) Ita mss. & editi meliori vultu libri. Al. omnibus.

## ARTICULUS VI. 219

Utrum convenienter Spiritus Sanctus super Christum baptismum descenderit in specie columbe.

Inf. quæst. XLVI. art. 4. ad 2. & opus. LX. cap. IX.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter Spiritus Sanctus super Christum baptismum dicitur descendisse in specie columbe. Spiritus enim Sanctus habitat in homine per gratiam. Sed in homine Christo fuit plenitudo gratiæ à principio suæ conceptionis, quia fuit unigenitus à Patre, ut ex supradictis patet (quæst. xxxiv. art. 4.) Non ergo debuit Spiritus Sanctus ad eum mitti in baptismo.

2. Præterea. Christus dicitur in mundum descendisse per mysterium incarnationis, quando *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens* (Philipp. 11.) Sed Spiritus Sanctus non est incarnatus. Ergo inconvenienter dicitur, quod Spiritus Sanctus descendit super eum.

3. Præterea. In baptismo Christi ostendi debuit, sicut in quodam exemplari, id quod fit in nostro baptismo. Sed in nostro baptismo non fit aliqua missio visibilis Spiritus Sancti. Ergo nec in baptismo Christi debuit fieri visibilis missio Spiritus Sancti.

4. Præterea. Spiritus Sanctus à Christo in omnes alios derivatur, secundum illud Joan. 1. 15. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Sed super Apostolos Spiritus Sanctus descendit, non in specie columbe, sed in specie ignis. Ergo nec super Christum debuit descendere in specie columbe, sed in specie ignis.

Sed contra est quod dicitur Luc. 111. 22. *Descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.*

Respondeo dicendum, quod hoc quod circa Christum factum est in ejus baptismo, sicut Chryostomus dicit super Matth. (alius Auctor hom. 14. in op. imperf. à med.) pertinet ad mysterium omnium qui postmodum fuerant baptizandi. Omnes autem qui baptismum Christi baptizantur, Spiritum Sanctum recipiunt, nisi accedant, secundum illud Matth. 111. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Et ideo convenienter fuit ut super Christum baptismum Spiritus Sanctus descenderet.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit XV. de Trinit. (cap. xxvi. cir. med.) *absurdissimum est dicere, quod Christus, cum jam triginta esset annorum, accepit*

*Spiritum Sanctum; sed venit ad baptismum sicut sine peccato, ita non sine Spiritu Sancto. Si enim de Joanne scriptum est, quod Spiritu Sancto replebitur ab utero matris sue; quid de homine Christo dicendum est, cujus carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritualis fuit? Tunc ergo, id est in baptismo, corpus suum, id est Ecclesiam, præfigurare dignatus est, in qua præcipue baptizati accipiunt Spiritum Sanctum.*

Ad secundum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in II. de Trinit. (cap. vi.) Spiritus Sanctus descendit dicitur super Christum corporali specie, sicut columba, non quia ipsa substantia Spiritus Sancti videretur, quæ est invisibilis: neque ita quod illa visibilis creatura in unitate personæ dividit adsumeretur; neque enim dicitur, quod Spiritus Sanctus sit columba; sicut dicitur quod Filius Dei est homo ratione unionis. Neque etiam hoc modo Spiritus Sanctus visus est in specie columbe, sicut Joannes vidit agnum oculum in Apocalypsi, ut habetur Apoc. v. illa enim visio facta fuit in spiritu per spirituales imagines corporum: de illa vero columba nullus unquam dubitavit quin oculis visa sit. Nec etiam hoc modo in specie columbe Spiritus Sanctus apparuit, sicut dicitur I. ad Corinth. x. 4. *Petra autem erat Christus*: illa enim petra jam erata in creatura, & (a) per significationis modum nuncupata est nomine Christi, quem significabat; illa autem columba ad hoc tantum significandum repente exiit; & postea cessavit, sicut flamma, quæ in rubo apparuit Moysi. Dicitur ergo Spiritus Sanctus descendisse super Christum, non ratione unionis ad columbam, sed vel ratione ipsius columbe significantis Spiritum Sanctum, quæ descendendo super Christum venit, vel ratione spiritualis gratiæ, quæ à Deo per modum justitiam descensus in creaturam derivatur, secundum illud Jacobi 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de Jussu est, descendens à Patre luminum.*

Ad tertium dicendum, quod, sicut Chryostomus dicit super Matth. (hom. x11. ante med.) *in principis spiritualium rerum semper sensibiles apparent visiones, propter eos qui nullam intelligentiam incorporalis naturæ suscipere possunt, ut si postea non fiant, ex his quæ semel facta sunt, recipiant fidem.* Et ideo circa Christum baptismum corporali specie Spiritus Sanctus visibiliter descendit, ut super omnes baptizatos invisibiliter postea crederet descendere.

Ad quartum dicendum, quod Spiritus Sanctus in specie columbe apparuit super Christum baptismum, propter quatuor. Primo quidem propter dispositionem quæ requiritur in baptizato, ut scilicet non factus accedat: quia sicut

(a) Ita cum Garcia recentiores editi. Petrus cum mss. per actionis modum.

ficut dicitur Sap. 1. 5. Spiritus Sanctus discipulorum effugiet sicut. Columba autem est animal simplex, altitia, & dolo carens; unde dicitur Matth. x. 16. *Estote simplices, sicut columbæ.* Secundo ad designandum septem dona Spiritus Sancti, quæ columba suis proprietatibus significat. Columba enim fecus fluente habitat, ut inde, viso accipere, mergat se, & evadat; quod pertinet ad donum sapientie, per quam Sancti fecus Scripturæ divinæ fluente resident, ut incursum diaboli evadant. Item columba meliora grana elegit: quod pertinet ad donum consilii, quo sancti homines, qui fuerunt pulli, idest imitatores diaboli, doctrina nutriunt, & exemplo. Item columba non lacrat rostro: quod pertinet ad donum intellectus, quo Sancti bonas scientias lacrando non pervertunt, hereticorum more. Item columba felle caret: quod pertinet ad donum pietatis, per quam Sancti ira irrationabili carent. Item columba in cavernis petre nidificat: quod pertinet ad donum fortitudinis, qua Sancti in plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt, idest suum refugium, & spem. Item columba gemitum pro cantu habet: quod pertinet ad donum timoris, quo Sancti delectantur in gemitu pro peccatis. Tertio apparuit Spiritus Sanctus in specie columbæ propter effectum proprium baptismi, qui est remissio peccatorum, & reconciliatio ad Deum. Columba enim est animal mansuetum: & ideo, sicut Chrysostomus dicit super Matth. (hom. xxi. parum ante med.) in diluvio apparuit hoc animal, ramum ferens olive, & communem orbis terrarum tranquillitatem annuntians: & nunc etiam columba apparet in baptismo, liberatorem nobis demonstrans. Quarto apparuit Spiritus Sanctus in specie columbæ super Dominum baptizatum, ad designandum communem effectum (a) baptismi, qui est consuetudo ecclesiasticæ unitatis. Unde dicitur Ephes. v. 25. quod Christus tradidit semetipsum, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, lavans eam levisero aque in verbo vite. Et ideo convenienter Spiritus Sanctus in baptismo demonstratus est in specie columbæ, quæ est animal amicabile, & gregale. Unde, & Cant. vi. 8. dicitur de Ecclesia: *Una est columba mea.* Super Apostolos autem in specie ignis Spiritus Sanctus descendit, propter duo. Primo quidem ad ostendendum fervorem, quo corda eorum erant commovenda, ad hoc quod Christum ubique inter presuras prædicarent: & ideo etiam in igneis linguis apparuit. Unde Augustinus dicit super Joann. (tract. vi. aliquant. à princ.)

(a) Ita cum plurimis in scripturis passim. In eod. Alecan. deest. baptismi.

Duobus modis ostendit simpliciter Dominum Sanctum, scilicet per columbam, & per ignem. Dominum baptizatum, & per ignem super discipulos congregatum: ibi simplicitas, hic fervor ostenditur. Ergo non Spiritus sanctificat dolum habent, in columba demonstratus est; & non simplicitas frigida remaneat, in igne demonstratus est. Nec te moveat, quia lingua diverse sunt: imitator in columba cognoscitur. Secundo quia, sicut Chrysostomus dicit (hab. in Cat. D. Th. sup. illud Luc. 11. *Jesu baptizato*), cum oportebat delictis ignoscere, quod fit in baptismo mansuetudo necessaria erat, quæ demonstratur in columba; sed ubi adepti sumus gratiam restat iudicii tempus, quod significatur per ignem.

#### ARTICULUS VII. 220

*Utrum illa columba, in qua apparuit Spiritus Sanctus, sit verum animal.*

*Joann. 1. lect. 20. & opusc. 1x. cap. 1x.*

**A**D septimum sic proceditur. Videtur quod illa columba in qua Spiritus Sanctus apparuit, non fuerit verum animal. Illud enim videtur specie tenus apparere quod secundum similitudinem apparet. Sed Luc. 11. 22. dicitur, quod descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsam. Non ergo fuit vera columba, sed quedam similitudo columbæ.

**2.** Præterea. Sicut natura nihil facit frustra, ita nec Deus, ut dicitur in I. de celo, (tex. 32. & L. 1. tex. 59.) Sed cum columba illa non adveniret, nisi ut aliquid significaret, atque præteriret, ut Augustinus dicit in II. de Trinit. (cap. vi. in fin.) frustra fuisset vera columba; quia hoc ipsum fieri poterat per columbæ similitudinem. Non ergo illa columba fuit verum animal.

**3.** Præterea. Proprietates cujuslibet rei ducunt in cognitionem naturæ illius rei. Si ergo fuisset illa columba verum animal, proprietates columbæ significassent naturam veri animalis, non autem effectus Spiritus Sancti. Non ergo videtur quod illa columba fuerit verum animal.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in Lib. de agone christiano (cap. xxi. à med.) *Neque hoc ita dicimus, ut Dominum Jesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum autem sanctum fallaciter apparuisse oculis hominum; sed ambio illa corpora vera esse credimus.*

Respondetur dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. v. art. 1.) non decebat ut Filius Dei, qui est veritas Patris, aliqua fictio-

fictioe uteretur. Et ideo non phantasticum, sed verum corpus accepit. Et quia Spiritus Sanctus dicitur Spiritus veritatis, ut patet Joan. xvi. ideo etiam ipse veram columbam formavit, in qua appareret; licet non assumeret ipsam in unitatem personæ. Unde post prædicta verba Augustini subdit: *Sicut non oportebat ut homines falleret Filius Dei; sic etiam non oportebat ut falleret Spiritus Sanctus. Sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam ex nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbæ sine altiarum columbarum ministerio figurare; sicut non fuit ei difficile verum corpus in utero Mariæ sine virili semine fabricare; cum creatura corporea & in visceribus matris ad formandum hominem, & in ipso mundo ad formandum columbam, imperio Domini voluntarie crearetur.*

Ad primum ergo dicendum, quod Spiritus Sanctus dicitur descendisse in specie, vel similitudine columbæ, non ad excludendam veritatem columbæ, sed ad ostendendum quod ipse non apparuit in specie suæ substantiæ.

Ad secundum dicendum, quod non fuit superfluum formare veram columbam, ut in ea Spiritus Sanctus appareret: quia per ipsam veritatem columbæ significatur veritas Spiritus Sancti, & effectum ejus.

Ad tertium dicendum, quod proprietates columbæ eodem modo ducunt ad significandam naturam columbæ, & ad significandos effectus Spiritus Sancti. Per hoc enim quod columba habet tales proprietates, ostenditur, quod columba significat Spiritum Sanctum.

#### ARTICULUS VIII. 221

*Utrum convenienter, Christo baptizato, fuerit vox Patris audita Filium protestantis.*

*Inf. quæst. xlv. art. 4. & quæst. lxxvi. art. 6. corp. & opusc. 1x. cap. 1x.*

**A**D octavum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter, Christo baptizato, fuerit vox Patris audita Filium protestantis. Filius enim, & Spiritus Sanctus, secundum hoc quod sensibiliter apparuerunt, dicuntur visibiliter esse missi. Sed Patri non convenit miti, ut patet per Augustinum in II. de Trin. (cap. xii. in fin.) Ergo etiam nec apparere.

**2.** Præterea. Vox est significativa verbi in corde concepti. Sed Pater non est verbum. Ergo inconvenienter manifestatur in voce.

**3.** Præterea. Homo Christus non incepit esse filius Dei in baptismo, sicut quidam heretici putaverunt; sed à principio suæ concep-

tionis fuit filius Dei. Magis ergo in nativitate debuit vox Patris protestari Christi Divinitatem, quam in ejus baptismo.

Sed contra est quod Matth. 11. 17. dicitur: *Ecce vox de celis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Respondetur dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 6. huj. quæst.) in baptismo Christi, qui fuit exemplar nostri baptismi, demonstrari debuit quod in nostro baptismo perficitur. Baptismus autem quo baptizantur fideles, consecratur in invocatione, & virtute Trinitatis, secundum illud Matth. ult. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et ideo in baptismo Christi, ut Hieronymus dicit (sup. illud Matth. 11. *Et ecce aperti, &c.*) mysterium Trinitatis demonstratur. Dominus enim in natura humana baptizatur; Spiritus Sanctus descendit in specie columbæ; Patris vox testimonium Filio perhibentis auditur. Et ideo conveniens fuit ut in illo baptismo Pater declararetur in voce.

Ad primum ergo dicendum, quod missio visibilis addit aliquid super apparitionem, scilicet auctoritatem mittentis. Et ideo Filius, & Spiritus Sanctus, qui sunt ab alio, dicuntur miti visibiliter, & non solum apparere; Pater autem, qui non est ab alio, apparere quidem potest, visibiliter autem miti non potest.

Ad secundum dicendum, quod Pater non demonstratur in voce, nisi sicut auctor vocis, vel loquens per vocem: & quia proprium est Patri producere Verbum, quod est dicere, vel loqui, ideo convenientissime Pater per vocem manifestatus est, quæ significat Verbum: unde & ipsa vox à Patre emissa filiationem Verbi protestatur: & sicut species columbæ, in qua demonstratus est Spiritus Sanctus, non est ipsa natura Spiritus Sancti; nec species hominis, in qua demonstratus est ipse Filius, est ipsa natura Filii Dei: ita etiam ipsa vox non pertinet ad naturam Verbi, vel Patris loquentis. Unde Joan. xv. 37. Dominus dicit: *Neque vocem ejus, idest Patris, unquam audistis, sed speciem ejus vidistis.* Per quod, sicut Chrysostomus dicit super Joan. (hom. xxxix. à med.) paulatim eos in philosophicum dogma inducens, ostendit quoniam neque vox circa Deum est, neque species; sed superior est & figuris, & loquelis talibus. Et sicut columbam, & etiam humanam naturam à Christo assumptam tota Trinitas operata est, ita etiam & formationem vocis; sed tamen in voce declaratur solus Pater ut loquens; sicut naturam humanam solus Filius assumpsit, & sicut in columba solus Spiritus Sanctus demonstratus est, ut patet per Augustinum (Fulgentium) in Lib. de fide ad Petrum. (cap. 1x.)

Ad tertium dicendum, quod Divinitas Christi non debuit omnibus in ejus nativitate manifestari, sed magis occultari in defectibus infantilis ætatis, sed quando jam pervenit ad perfectam ætatem, in qua oportebat eum docere, & miracula facere, & homines ad se convertere, tunc testimonio Patris erat ejus Divinitas manifestanda, ut ejus doctrina credibilior fieret: unde & ipse dicit Joan. v. 37. *Qui misit me Pater, ipse testimonium (a) perhibet de me*: Et hoc præcipue in baptismo, per quem homines renascuntur in filios Dei adoptivos. Filii autem Dei adoptivi instituuntur ad similitudinem filii naturalis, secundum illud Rom. vi. 11. *Quis præficiat, hos & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Unde Hilarius dicit super Math. (can. 11. in fin.) quod *super Jesum baptizatum descendit Spiritus Sanctus, & vox Patris audita est dicentis: Hic est filius meus dilectus: ut ex his que consummabantur in Christo cognosceremus post aquæ lavacrum, & de celestibus (b) patris sanctum, in nos spiritum invocare, & paternæ vocis adoptione Dei filios fieri.*

QUESTIO XL.

De modo conversationis Christi.

in quatuor articulos divisa.

Consequenter post ea quæ pertinent ad ingressum Christi in mundum, vel ad ejus principium, considerandum restat de his quæ pertinent ad progressum ipsius: & primo considerandum est de modo conversationis ipsius; secundum de tentatione ejus; tertio de doctrina; quarto de miraculis.

Circa primum quaruntur quatuor.

Primo, utrum Christus debuerit solitariam vitam ducere, an inter homines conversari.

Secundo, utrum debuerit austeram vitam ducere in cibo, & potu, & vestitu, an cum aliis communem.

Tertio, utrum debuerit abjecte vivere in hoc mundo, an in divitiis, & honore.

Quarto, utrum debuerit secundum legem vivere.

ARTICULUS I.

Utrum conveniens fuerit, Christum inter homines conversari.

Infr. art. 2. cor. 2. 2. quæst. xxv. art. 6. ad 5.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christus non debuerit inter homines conversari, sed solitariam vitam agere. Oportebat enim quod Christus sua conversatione non solum se hominem ostenderet esse, sed etiam Deum. Sed Deum non convenit cum hominibus conversari: dicitur enim Danielis 11. 2. *Exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio*: & Philo sophus dicit in I. Politicæ (cap. 11. & med.) quod *ille qui solitarii vivit, aut est bestia, si scilicet propter sævitiam hoc faciat, aut est Deus, si hoc faciat propter contemplantandam veritatem*. Ergo videtur quod non fuerit conveniens Christum inter homines conversari.

2. Præterea. Christus, dum in carne mortali vixit, debuit perfectissimam vitam ducere. Perfectissima autem vita est contemplativa, ut in secunda parte habitum est (2. 2. quæst. cxxxii. art. 1. & 2.) Ad vitam autem contemplativam maxime competit solitudo, secundum illud Osee 11. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*. Ergo videtur quod Christus debuerit solitariam vitam ducere.

3. Præterea. Conversatio Christi debuit esse uniformis: quia semper in eo debuit apparere id quod optimum est. Sed quandoque Christus solitaria loca quærebat, turbas declinans: unde Remigius dicit super Math. (hab. in Cat. D. Th. in princ. cap. v.) *Tria refugia legitur Dominus habuisse, navim, montem, & desertum ad quorum alterum, quotiescumque à turbis commovebatur, ascendebat*. Ergo & semper debuit solitariam vitam agere.

Sed contra est quod dicitur Baruch 111. 38. *Post hoc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*.

Respondetur dicendum, quod conversatio Christi talis debuit esse ut conveniret fini incarnationis, secundum quam venit in mundum. Venit autem in mundum primo quidem ad manifestandam veritatem, sicut ipse dicit Joan. xviii. 37. *In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*. Et ideo non debebat se occultare, vitam solitariam agens, sed in publicum procedere, publice prædicando. Unde Lucæ 1v. 43. dixit illis qui volebant eum desinare: *Quia, & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum*. Secundo venit ad hoc

(a) Vulgata perhibuit. (b) Ita nisi. & editi communiter. Cod. Alcan. partibus.

ut homines à peccato liberaret, secundum illud I. ad Timoth. 1. 15. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*. Et ideo, ut Chrysostomus dicit (hab. in Cath. aur. D. Thom. sup. illud Luc. 1v. *Quia & aliis civitatibus*.) licet in eodem loco manendo posset, Christus ad se omnes atrahere, ut ejus prædicationem audirent; non tamen hoc fecit, præbens nobis exemplum, ut perambulamus, & requiramus peregrinam, sicut pastor ovem perditam, & medicus accedit ad infirmum. Tertio venit, ut per ipsum habeamus accessum ad Deum, ut dicitur Rom. v. Et ideo familiariter cum hominibus conversando, conveniens fuit ut hominibus fiducia daret ad se accedendi. Unde dicitur Math. 1x. 10. *Factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus: quod exponens Hieronymus dicit peccatores: (a) Viderunt publicanum, ad peccata ad meliora conversum, locum, inveniisse penitentem; & ob id etiam ipsi non desperant salutem.*

Ad primum ergo dicendum, quod Christus per humanitatem suam voluit manifestare Divinitatem; & ideo conversando cum hominibus (quod est proprium hominis) manifestavit omnibus suam Divinitatem, prædicando, & miracula faciendo, & innocenter & juste inter homines conversando.

Ad secundum dicendum, quod, sicut in secunda parte dictum est (2. 2. quæst. cxxxii. art. 1. & quæst. cxxxviii. art. 6.) vita contemplativa simpliciter est melior quam activa, quæ occupatur circa corporales actus, sed vita activa, secundum quam aliquis prædicando, & docendo contemplata aliis tradit, est perfectior quam vita quæ solum contemplatur, quia talis vita præsupponit abundantiam contemplationis. Et ideo Christus talem vitam elegit.

Ad tertium dicendum, quod actio Christi fuit nostra instructio. Et ideo ut daret exemplum prædicatoribus, quod non semper se darent in publicum, ideo quandoque Dominus se à turbis retraxit. Quod quidem legitur fecisse propter tria. Quandoque quidem propter corporalem quietem: unde Marc. vi. 31. dicitur, quod Dominus dixit discipulis: *Venite scorsum in desertum locum, & requiescite pusillum: erant enim qui veniebant, & residant multi, & nec spatium manducandi habebant*. Quandoque vero causa orationis: Unde dicitur Lucæ vi. 12. *Factum est in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: ubi ait Ambrosius quod, ad præcepta virtutis suo nos.*

S. Thom. Op. Tom. 1.

(a) Ita Codex Alcan. Hieronymo conformis. Editi pasim: Videbant publicanum à peccatis Sec.

Editio Rom. Videbant publicani à peccatis ad meliora conversi locum inveniisse penitentem, &c.

informat exemplo. Quandoque vero, ut doceret favorem humanum vitare. Unde super illud Math. v. *Videns Jesus turbas, ascendit in montem, dicit Chrysostomus (hom. xv. in Math. circa princ.)*; Per hoc quod non in civitate, & foro, sed in monte, & solitudine sedit, eruditur nos, nihil ad operationem facere, & à tumultibus abscere, & maxime cum de necessariis disputare oportet.

ARTICULUS II.

Utrum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit.

Infr. quæst. xli. art. 4. ad 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus debuerit austeram vitam ducere in hoc mundo. Christus enim multo magis prædicavit perfectionem vitæ, quam Joannes, Sed Joannes austeram vitam duxit, ut suo exemplo homines ad perfectionem vitæ provocaret: dicitur enim Math. 111. 4. quod *ipse Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pellicam circa lumbos suos; esca autem ejus erant locustæ, & mel sylvestre: quod exponens Chrysostomus (hom. x. in Math. circa med.) dicit: Erat mirabile in humano corpore tantam patientiam videre, quod & Judæos magis attraheret. Ergo videtur quod multo magis Christum decuerit austeram vitam ducere.*

2. Præterea. Abstinencia ad continentiam ordinatur: dicitur enim Osee 1v. 10. *Continentes, & non saturabuntur; fornicati sunt, & non cessaverunt. Sed Christus continentiam, cum se servavit, & aliis servandam proposuit, cum dixit Math. xix. 12. *Sunt enim qui se castitatem propter regnum celorum: qui potest capere capiat*. Ergo videtur quod Christus in se, & in suis discipulis austeritatem vitæ servare debuerit.*

3. Præterea. Rudeulum videtur ut aliquis districtiorem vitam incipiat, & ab ea in laxiorem revertatur: potest enim dici contra eum, quod habetur Luc. xiv. 30. *Hic homo rapit edificantem, & non potuit consummare*. Christus autem districtissimam vitam incepit post baptismum, manens in deserto, & jejuniis quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ergo videtur non fuisse congruum, quod post tantam vitæ districtiorem ad communiorem vitam rediret.

Sed contra est quod dicitur Math. xi. 19. *Venit. Filius hominis manducans, & bibens*.

Respondetur dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc.) congruum erat incarnationis fini, ut de necessitate oportet, ut in hoc mundo duceret vitam austeram, & in suis discipulis austeritatem vitæ servare debuerit.